



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Eberhardvs Episc. 1. Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

deperit. Ita RVMOLDVM Davidis Scotorum Regis filium, non nisi precib;is extortum, in tempore si-  
bi iterum vindicavit, Angelo misso, qui juvenem  
edocuit, quantum æternatura regna petituris an-  
tistarent. Quare RVMOLDVS cælo jam tum ocu-  
los circumferens facile sponsam, sceptrum patrium  
& adeò humana omnia despexit. Sed & Pontifica-  
tum Dublinensem, cum patre demortuo ad regnū  
gubernacula abstrahere illum cives vellent, fugā  
deseruit, iterum ad hoc optimo consiliario Ange-  
lo usus. Hoc tam bono Duce Romam, inde in  
Brabantiam profectus, Adoni Comiti precibus  
suis apud DEVM filium impetravit, & hunc ipsum,  
ut bis se RVMOLDO deberet, aquis haustum in vi-  
ram restituit. Inter hæc dum templum alienā li-  
beralitate, sed suis curis, ædificat, geminæ operæ  
consilium viri è medio tollendi cuperunt, opum,  
quas ingentes penes ipsum credebant, heredita-  
tem parricidio adituri. At tanti sceleris merces fuit  
nummus tergeminus repertus. Corpus in fluvium  
abjectum cælestè prodidit lumen, quod omnem  
ab eo loco noctem fugabat. Extraxere igitur pisca-  
tores RVMOLDVM mortuum, ingentem tamen vel  
talem Adoni comiti prædam. Ex Lippeloo.

Expecta quotidie finem vite, & ad iter illud te  
para; quâ enim horâ mīmīnè putas, mandatum af-  
feretur: vœ autem illis, quos tunc imprudentes op-  
primet & imparatos. Cordis compunctione est curan-  
dis hominum animis medicina. S. Ephrem de Vi-  
ta spiritu.

S. EBERHARDVS EPISC. I. Iulij.  
EBERHARDVS gente Bojus, genere Comes,  
cum è Collegio Bambergensium Canonico-

rum ad Religiosorum se juvenis transtulisset , à suis inde nolens extractus & in Gallias est amandatus ; ut (quod hodie etiam amat fieri) cum velle mores sanctos & sanctiora proposita poneret . Sed non præpotuere Numini amicorum inimica consilia . Redux enim in idem monasterium se abdidit ; Biburgensi dein Asceterio, mox etiam Saliburgensi Episcopatui jussus præesse, in miseros, si quisquam alius, pius fuit. Itaque Promum Condum et si senicum insequi hospitem Biburgo Ratisponam usque compulit, & , quem transeuntinegaverat, vini haustum deferre : ipse , cùm Italiam peteret, ægræ mulierculæ equum cessit, & pedes Apenninum concendit. Elephantiacorum cùm & corpora & animos curaret, reddente ex his uno cum vomitu Divinum Epulum , ore suo omnia exceptit, nec multò pòst cognovit, sub ægro illo **CHRISTVM** latitasse virtutis suæ exploratorem. Dum vixit , nulli unquam quidquam **MARIA** nomine petenti denegauit, ideoque mortuum non nemo sinu **MAGNA MATRIS** velut infantem foreri vidit, & nectare, quod ipsa illi **VIRGO** libavit, inebriari. Quid hic agitis Sodales Mariani ? Matrem esse vestram **MARIAM** vultis ? pauperum patres este. Et profectò aut filii **MARIA** non essis, aut Fratri EBERHARDO sinum invidetis. Ex tom. Henric. Canis. & tom. 1. Bav. S.

Vtinam sapiamus ad presentis vita moderatio-  
nem! utinam intelligamus ad praeserita correptionem! utinam devotâ in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipso miserante, consummationem!

S. Bernard. in serm. 2. de SS. Pet. & Paul.

S. SIME-